Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

Bibliographische Daten

Titel: Aristoteles – Nürnberg, STN, Cent. IV, 1
Signatur: Cent. IV, 1

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

simum est ut hominis que anime ratio· substantia namque est species que inest· ex qua et materia tota dicitur substantia ut concavitas· Nam ex hac et naso simus nasus et simitas est bis enim· et hic inerit nasus· in tota vero substantia ut naso simo aut Callia inest et materia· et quod quid erat esse unicuique in quibusdam idem ut in primis substantiis ut curvitas et curvitati esse· Si prima est dico autem primam que non dicitur per aliud in alio esse· et substantia ut materia quorundam vero ut materia· aut concepta ut materia· non idem sed accidens unum· ut Socrates et musicum· hec enim sunt eadem accidens·

Nunc autem dicamus primum in quantum in analeticis de diffinitione non dictum est· in illis enim dubitatio dicta preopere orationibus de substantia est· dico autem hanc in dubitationem propter quid unum est· cuius rationem in diffinitione esse dicimus ut homo animal bipes· In hoc namque homo et albus multa quidem sunt cum alterum non insit alteri· unum vero inest et patitur aliquid subiectum homo· Tunc enim unum fit et est albus homo· hic autem non participat alterum altero· Genus enim non videtur participare differentiis· simul enim contrariis idem participaret· Nam differentie contrarie sunt quibus differt genus· Si vero et participat eadem ratio quia sunt differentie plures gressibile bipes non alatum· Quare namque hec unum· sed non multa· Non enim quia insunt nam sic ex omnibus erit unum· Oportet unum autem esse quecumque sunt in diffinitione· Diffinitio enim ratio quedam est una et substantie· Quare unius alicuius oportet ipsam esse rationem· et enim substantia unum quid· et hec aliquid significat ut dicimus· Oportet namque intendere primum de hiis que secundum divisiones diffinitionibus inest· enim est aliud in diffinitione quam primum dictum genus et differentie alia vero genera sunt primum et cum hiis comprehense differentie ut primum animal· hinc animal vero animal bipes et iterum animal bipes non alatum· Similiter et si plura dicantur· omnino vero nichil differt per plura aut per pauca dici quare nec per pauca aut per duo· Duorum vero hec quidem differentia illud vero genus· ut eius quod animal bipes· et animal quidem genus· differentia autem alterum· Si ergo genus simpliciter non est preter eas que ut generis species· aut si quidem· ut materia· aut est vox enim genus est· et elementa· ex hac faciunt palam quod diffinitio est ex differentiis ratio· At vero et oportet dividi differentie differentiam ut animalis differentia est pedalitas

Iterum animalis habentis pedes differentiam oportet scire in quantum habens pedes quare non est dicendum habentis pedes aliud alatum aliud non alatum· Si quidem bene dicet· sed propter non posse faciet hec· sed si aliud habens fissos aliud non fissos pedes· hec namque sunt differentie pedis· nam fissio pedis pedalitas quedam est et sic semper vult procedere donec utique veniat ad non differentias· Tunc autem erunt tot species pedis quot differentie et pedes habentia hec alia· equalia differentiis· Si itaque hec sic se habent palam quod finalis differentia substantia rei erit· et diffinitio si non oportet multotiens eadem differentie in terminis· superfluum enim accidit autem hoc· Nam quando dicit animal habens pedes bipes· duos pedes habens· et si hoc dividat propria divisione multotiens dicet et equaliter differentiis· Si quidem ergo differentia fiat·